

defectu, ut proinde illegitimi omnes, etiam spuri, in Religione aliqua professi ad sacros Ordines absque alia dispensatione promoveri possint, c. 1. de Filiis Presbyter. cap. 1. dist. 65. neque tamen abque Sedis Apostolicæ dispensatione promoveri ad prælaturam, vel dignitatem Ecclesiasticam, ex cit. cap. 1. de Filiis Presbyter. & videri potest Rodriguez, & Sanchez citati à Layman cit. num. 4. qui ibidem subdit, quod alie irregularitates per Religionis susceptionem non tollantur. Citatque Rebuffum, Navarrum, Henriquez, Suarez, & Sanchez.

439 Quartum est, quod professio Religionis tollat maculam quoad actus temporales, ita ut damnatus de crimine furti, verbi gratia aut perjurii, postea ad testimonium in iudicio & similes actus legitimos admitti possit, sicut colligitur ex authent. de Monach. collat. 1. Idque ex communi docent Abbates in c. cum deputati, de Iudiciis, Rebuffus, & Sanchez apud Laym. cit.

440 Quintum est, quod per professionem Religionis solvatur patria potestas: cum Religiosus penitus transeat in potestatem Superiorum suorum. Item quod professio Religiosa debeat ingratitudinis notam esse commissam, ob quam aliqui pater, vel filius exhereditari, seu legitima Hereditatis portione spoliari possit. Ita habetur in novella Justiniani Imperatoris apud Gratianum, causa 19. qu. 3. cap. ultim. Tradit Covarruvias in cap. Raynuius, in princ. nu. 28. & alii plerique Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez l. 5. Moral. cap. 5. num. 33.

441 Sextum privilegium est, quod Religiosa professio dirimat matrimonium postea contrahendum, ac dissolvat matrimonium contractum ratum, nondum consummatum, de quo vide Patritium Sporer de matrim. cap. 1. sect. 1. num. 39. & sect. 4. num. 396.

III. Quantum ad privilegia Regularium mendicantium præsertim Ordinis nostri Seraphici attinet, plurima, imò (teste P. Anacleto Reiffensuel in 5. Decret. tit. de privilegiis, num. 232.) multa centena privilegia, in specie Regularibus mendicantibus, præsertim Ordinis nostri Seraphici per diversos Pontifices concessa, etiam pro utroque foro adhuc verè valida existunt, validèque, & licite practicari possunt. Ratio est: quia tam in nostro, quam in Societatis JESU, & aliorum Ordinum compendio privilegiorum, maxima copia illorum in specie allegari possunt, quæ nec sunt revocata, nec per usum contrarium, aut non usum, vel per renuntiationem, præscriptionem, aut aliam viam amissa fuere. Et quidem, quod plurima nunquam revocata sint, inde patet: quia nunquam hucusque facta est, nec unquam fiet univærsalis revocatio omnium privilegiorum Regularibus concessorum. Deinde licet Conc. Trid. in diversis sessionibus, in specie, & expressè revocaverit aliqua Regularium privilegia, ac insuper omnia Decretis ejusdem sessionis 25. de Regularibus contraria, juxta communionem Doctorum apud Reiffensuel citatum numero 137. & seqq. tamen non obstante, quod præfata per Concilium Tridentinum, & multa alia per alias constitutiones Pontificias verò sint revocata, adhuc multa alia centena existunt, quæ nec præfato Concilio, nec aliis constitutionibus Pontificiis sunt contraria, consequenter ab eis minime revocata, uti videre est inter alia in nostro compendio privilegiorum primitivè compilato ab Alphonso de Casarubio Hispano, postea reformata per Hieronymum à Sorbo: nam dictum nostrum privilegiorum compendium omni debita cum reverentia, & obedientia erga Sedem Apostolicam, juxta Decreta Concilii Tridentini, & aliarum constitutionum Papalium fuit reformatum, & sic reformatum editum, 1609. Venetiis: adeo ut nullum in illo privilegium à Concilio Tridentino, vel aliqua constitutione Pontificia usque ad Clementem Octavum, (sub quo reformatum fuit) reperitur revocatum: & tamen multa centena in illo reperuntur privilegia, etiam nulli posteriori constitutioni Pontificiæ contraria, nec per aliam causam amissa, ut legenti patebit. Pariter res se habet de compendio privilegiorum Societatis JESU recentè edito, sicut, & de aliis. Et licet Gregorius Decimus quintus Bulla: Romanus Pontifex edita 2. Julii, 1622. & Urbanus Octavus Bulla: Aliis felicis, edita 20. Decembris, 1631. Universaliter pro utroque foro revocaverint omnia vivæ vocis oracula, Regularibus quibusvisque etiam Societatis JESU (non verò secularibus, uti notat Gobat in exper. tract. 9. numer. 728. & la Croix libro primo num. 851.) concessa, non verè authentica, seu de quibus testimonium Officialium, & Ministrorum, quibus vi Officii sui de gratiis, & privilegiis per Pontifices oretenus concessis, vel concedendis fides haberi solet, & debet, non constat; tamen non obstante dictorum Pontificum revocatione, plurima privilegia vivæ vocis oraculo concessa adhuc valent; tum quia plurima habentur

pro foro in- & externo verè authentica, omnia videlicet illa, quæ in nostro privilegiorum compendio signata sunt majori littera O. Sciendum namque, quod privilegia, quæ in nostro privilegiorum reformato compendio comprehensa, in sine cujuslibet notantur littera majori O indicent vivæ vocis oraculum verè authenticum: notata verò littera minori O significant vivæ vocis oraculum non authenticum. Tum quia omnia vivæ vocis oracula in libris Ordinis nostri Seraphici reperta, etsi testimonio præfatorum Officialium non authenticata, Leo Decimus saltem pro foro conscientiæ, novo vivæ vocis oraculo verè authentico de novo concessit, & eadem etiam Gregorius Decimus tertius Bulla: Ex Beguina Sedis, edita 20. Maii, 1575. & Clemens Octavus Bulla: Ratio Pastoralis, edita 20. Decembris, 1597. ex certa scientia de novo confirmant, & concesserunt, consequenter fecerunt, quod dicta nostra oracula in libris Ordinis nostri reperta, Gregorianæ, & Urbanicæ revocationi non subjaceant, cum oracula, quæ per novam Bullam denuò sunt concessa, evadant privilegia scripta, & Bullata, & per consequens à Gregorio Decimo quinto, & Urbano Octavo nullatenus revocata, & idèo adhuc saltem in foro conscientiæ valeant. Dixi: saltem in foro conscientiæ, quia omnia, & singula dicta privilegia esse concessa non possumus probare pro foro externo. Tum denique quia dicta magna copia privilegiorum nil minuitur non usu, aut usu contrario, aut renuntiatione illorum, aut alia amissionis causa; siquidem plurima ex eis sunt merè gratiosa, quæ non usu, aut usu contrario minime cessant ex supradictis, & pleraque sunt data Ordini, dignitati, officio, aut communitati, quibus per privatos renuntiare nequit, nec alia amissionis causa probari potest, & interea privilegiati sunt in possessione privilegiorum. Denique privilegia vivæ vocis oraculo concessa post Urbanum Octavum valent adhuc, & quidem pro foro interno omnia, & singula, de quibus sufficienter constat, quod fuerint concessa, etsi de his testimonium authenticum ab officialibus supradictis non habeatur, sed alii fide digni Superiores Generales, Provinciales, Procuratores, aut alii hujusmodi fide digni, in quorum præsentia Papa privilegium oretenus concessit, de illis testimonium ferant. Ut autem etiam valeant pro foro externo, non requiritur quidem testimonium supradictorum officialium, & ministrorum (nempè illorum, quibus vi officii sui de gratiis, & privilegiis, per Pontifices concessis, aut concedendis fides haberi solet, ac debet) non tamen etiam sufficit quodvis cæteroque dignum fide testimonium de eorum concessione, sed debet esse tale, quale ad probandum in foro externo aliàs requiritur, & sufficit. Ratio est: tum quia Gregorius XV. & Urbanus Octavus: tantum revocaverunt privilegia vivæ vocis oraculo antea concessa, minime verò concedenda: uti legenti illorum Bullas revocatorias patebit: ergo privilegia vivæ vocis oraculo post ipsos concessa valebunt, sicut ante revocationem prædictorum Pontificum valere consueverant: tum quia, cum par in parem non habeat imperium, consequenter Gregorius Decimus quintus, & Urbanus Octavus manus Successorum ligare non potuerunt, & consequenter subsequentes concessiones vivæ vocis oraculo factæ valebunt pro foro interno, si de earum concessione testimonio fide digno constet, ac etiam pro foro externo, si de iisdem constet Testimonio cæteroque in iure sufficienti ad faciendam fidem in foro externo. Ita Reiffensuel in quinto Decretali titulo trigésimo tertio numero 158. & sequentibus item numer. 231. & seqq.

Itaque omnia, & singula privilegia scripta, seu Bullata item omnia, & singula vivæ vocis oraculo verè authentica, quæ in nostro reformato privilegiorum compendio reperuntur, & Nova aliqua constitutione post Clementem Octavum circa certam materiam expressè revocata non sunt, & contra quæ causa aliqua amissionis probari non potest, adhuc pro utraque foro valent: vivæ vocis oracula verò plenè, non authentica ex libris tamen Ordinis nostri ibidem adducta, valent pro solo foro interno. Denique privilegia vivæ vocis oraculo concessa post Urbanum VIII. valent pro foro interno, ac etiam externo, si de eorum concessione, competens juxta modum supradicta testimonium habeatur, & nova aliqua constitutione Papali post Urbanum VIII. revocata non sint.

443 Dicitur est notanter: Et nova aliqua constitutione post Clementem Octavum, item post Urbanum Octavum revocata non sint. Quia aliqua, respectivè tamen valde pauca, in dicto compendio reperuntur privilegia, quæ à novis constitutionibus fuere revocata, utpotè contraria hujusmodi constitutionibus in illa materia circa quam fuere edita cum clausula. Non obstantibus quibusvisque Privilegiis, & cætera: uti erat privilegium super Altari portatili celebrandi Sanctam Missam etiam in loco

seculari, quod fuit revocatum à Clemente XI. per Decretum: Quoniam Sancta, editum 15. Decembris, 1703. videntur apud Reiffensuel lib. 3. tit. 41. n. 5.

444 IV. His omnibus accedit, quod Privilegia Mendicantium, præsertim nostri Ordinis, non tantum in forma communi, sed etiam in speciali, & ex certa scientia sæpius fuere confirmata, uti constat pro Ordine nostro ex Bulla Gregorii XIII. ex Benigna, 20. May, 1575. Clementis VIII. Ratio Pastoralis, Decembris, 1597. Pauli V. Injuncti nobis, 19. Julii, 1607. & Innocentii XI. Exponi nobis, 5. Sept. 1686. quorum Pontificum Bullæ citatæ per extensum postea apud Reiffensuel l. 5. Decret. tit. 33. legi possunt. Dum verò prædicti Pontifices in prædictis Bullis confirmant nostra Privilegia cum clausulis sequentibus: Dummodò sint in usu, & Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non adversentur, nec sub aliqua revocatione sint comprehensa. Per Primam clausulam: Dummodò sint in usu, intelligitur, quod non confirmant Privilegia, quæ per non usum, vel usum contrarium jam cessarunt, aut amissa fuerunt, consequenter ea de novo non revalident. Ita Reiffensuel cit. n. 108. citans Rodriguez, Donatum, & Peirinis. Per Secundam clausulam: Dummodò Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non adversentur, per illa verba, Sacris Canonibus, non intelligitur Sacros Canones in corpore juris communis clausos, seu contentos, sed Sacros Canones Concilii Tridentini, ita ut sensus sit: Dummodò Sacris Canonibus Concilii Tridentini, & ejusdem Decretis non adversentur (ita Barbosa Rodriguez, Dopatus, Miranda cum communi, & certa aliorum apud Reiffensuel cit. numer. 113.) videlicet illis, quæ continentur in Sessione 25. de regularibus, sicut, & illis, quæ habent annexam clausulam: non obstantibus Privilegiis. Ita Rodriguez tom. 1. Q2. Regular. quæst. 8. art. 7. Miranda, Suarez l. 8. de legibus, cap. 18. Reiffensuel cit. num. 139. & alii. Per Tertiam clausulam: Dummodò non sint sub aliqua revocatione comprehensa, intelligitur prædicti Pontifices, quod non confirmant Privilegia, quæ per legem, constitutionem, vel Decretum generale aut speciale, expressè, vel tacitè fuerunt revocata, & de novo non amplius concessa, vel confirmata ita communis. Vide plura de hac materia apud Reiffensuel citatum num. 119.

445 Quænam igitur privilegia Regularium Mendicantium, præsertim Ordinis nostri Seraphici adhuc in specie valeant, videri debent, juxta supradicta, in compendio privilegiorum nostrorum reformato. Quæ verò scitu necessaria sunt, illa à R. P. Patritio Sporer in sua Theologia Sacramentali, & Decalogali suis locis opportunè adducta sunt sicut & in hoc supplemento, atq; amplius adducentur, Tria adnotare adhuc volui. I. Quod privilegium Regularium etiam Mendicantium celebrandi in loco seculari (quod refert P. Sporer Theol. Sacrament. part. 2. cap. 6. num. 439.) sit revocatum à Clemente XI. per Decretum: Quoniam Sancta, editum 15. Decembris, 1703. quod videre potes apud Reiffensuel lib. 3. Decret. tit. 41. num. 5. ut jam supra notaveram. II. Quantum ad privilegium relatum à P. Sporer Theol. Sacrament. part. 3. cap. 6. sect. 1. nu. 678. quod Gregorius XIII. Patribus Societatis (& consequenter per communicationem privilegiorum, etiam reliquis Mendicantibus) concessit, uti ut ab uno saltem Episcopo approbati, iter agentes, possint fidelium confessiones audire in locis, in quibus commodus ad Episcopum non patet accessus, seu in quibus non existit Episcopus: adnumero verba P. Reiffensuel lib. 5. Decret. tit. 49. §. 8. nu. 259. ita scribentis: hoc privilegium adhuc post Urbanum VIII. Alexandrum VII. & Clementem X. (qui in sua Bulla: Superna Magni, edita 2. Augusti, 1670. §. 4. ita decrevit: Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones secularium in sua Diocesi audiendas approbatos, non posse in alia Diocesi eas absque Episcopi Diocesani approbatione audire, quamvis penitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati) Subsistere, censent plurimi, etiam post dictos Pontifices scribentes. Jacobus part. 5. Theol. cap. 6. §. 8. nu. 873. Bernardus Sannig tom. 3. Theol. dist. 11. qu. 4. n. 15. Patritius Sporer part. 3. Theol. Sacrament. cap. 6. sect. 1. n. 178. Jacobus Vviettner lib. 5. Instit. Canon. tit. 38. num. 36. propè finem &c. Bulla autem Clementis X. Superna &c. in contrarium allegata commodè forsan intelligi possit de stabiliter in aliqua Diocesi permanentibus, qui utique debent ab Episcopo illius loci approbati, non autem de transeuntibus tantum; nam cum privilegium toti alicui Religioni à Summo Principe concessum sit favorabile, sicque id, quod contra tale pun-guare videtur, tamquam odiosum strictam patiatur interpretationem, etiam etiam aliquo modo derogaret Juri communi, uti cum Suarez, Azorio, Bonacina, & ipomet Illung tenet. Castro-Palau part. 1. tr. disp. 4. punct. Suppl. Theol. Decal.

10. num. 5. Hinc posset præfato modo Bulla Urbani VIII. & Clementis X. explicari, ut saltem quoad hoc punctum non obesset valori privilegii. Nihilominus aliqui cum Illung in sua Theologia, de Approbatione Confessarii tr. 6. disp. 6. q. 6. ar. 1. §. 3. n. 176. putant hoc privilegium non amplius valere: Alii cum La Croix lib. 6. part. 2. numer. 1513. saltem de valore ejusdem dubitant ob Bullam Clementis V. Superna, supra citatam; quia Clemens X. ad Confessiones simpliciter audiendas, præscindendo, an transeunter, an permanenter, universim requirit approbationem Ordinarii loci, in quo Regularis audit Confessiones, ac revocat omnia qualiacumque, & quomodocumque data privilegia in contrarium, hinc (ait La Croix cit.) non audeam uti hoc privilegio, & subdit: Nec novum compendium privilegiorum Societatis V. Confessarius, §. 2. videtur satis fidere isti privilegio. Tertium est, quod, quantum ad reliqua privilegia Regularium Mendicantium adducta à P. Patritio Sporer in sua Theologia Sacramentali, & Decalogali attinet, non sciam, ex illis, aliquid esse revocatum. Nam licet sit revocatum privilegium Regularium etiam Mendicantium, celebrandi sacrificium Missæ in loco seculari, ut diximus supra n. 445. tamen Regularis non oblii sacrosacris Decretis Clementis XI. possunt adhuc hodie, vi privilegiorum, in propriis Monasteriis habere Oratoria privata, & Cappellas domesticas, ibique (imò etiam in cameris, ac cellis suis, ubi infirmus decumbit frater) Missam celebrare. Ita Reiffensuel l. 3. Dec. tit. 41. n. 19. citans Dianam, Azorium, Pelliciarium, & communes DD. Ratio est: quia quoad hæc loca non sunt revocata Regularium privilegia, uti fusè deducit Reiffensuel cit. subjungens n. 21. illud tamen hic notandum, quod, quamvis in Oratoriis, & Cappelli Monasteriorum privatis, si à Superioribus benedicantur, & ad Divinum duntaxat cultum deputentur (prout id adhuc hodie facere possunt nostri Ordinis Superiores, Generales, Provinciales, & Guardiani ex privilegio à Leone X. concessio, in compendio nostrorum privilegiorum Vers. Benedicere; quia est privilegium Bullatum, nec ad hoc requiritur aqua ab Episcopo benedicta) possint etiam alii sacerdotes saculares legere, & Laici audire Missam a tunc satisfacere præcepto Ecclesiæ; non item in Camera, aut Cella privata alicujus Religiosi, eo quod illa, non autem ista loca sufficienter censeantur Sacra, hoc ipso, quod dicta Oratoria, non item Cellæ sint à Superiore benedictæ, & ad Divinum duntaxat cultum deputatæ, prout communiter observant Doctores. Similiter nostri Superiores, Generales, Provinciales, Guardiani, & in horum absentia Vicarii, possunt adhuc hodie benedicere non tantum suarum, sed etiam aliarum Ecclesiarum quarumcumque Paramenta, Ornamenta, & alia ad Divinum cultum pertinentia, ubi Unctio Chrismatum non intervenit, ex privilegio concessio ab Innocentio VIII. Prioribus S. Hieronymi, in quo privilegio communicat noster Ordo. Ita Reiffensuel cit. tit. 4. num. 52. Nec obstant declarationes Cardinalium in contrarium: quia hæc non derogant huius privilegio. Denique adhuc hodie possunt nostri Fratres ordinari extra tempora, & per quemcumque Episcopum, communionem Ecclesiæ Catholice habentem, tribus Dominicis, vel festiis diebus continuis, vel interpolatis, etiam non servatis interstitiis, non obstante Decreto Clementis VIII. Super Ordinatione Regularium 15. Martii 1596. Quia hoc idem Papa, eodem Anno, post dictum decretum, nimirum 23. Novembris concessit Congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia: in quo privilegio nos communicamus. Ita Reiffensuel lib. 1. Decret. tit. 11. num. 136. Barbosa, Pirring, & alii apud ipsum.

CAPUT II.

DE

PRÆCEPTIS PARTICULARIBUS, STATUTIS CLERICALIS, RELIGIOSO, ET LAICALI PROPRIIS.

HActenus egimus de Legibus Divinis, & Ecclesiasticis, quibuscumque fidelibus communibus: nunc agendum est de Præceptis Particularibus certo hominum Status propriis. Sicut enim fideles omnes præcepta Decalogi, & Ecclesiæ omnibus communia sub peccato mortali scire tenentur, ita ut eorum ignorantia vincibilis, crassa, supina, vel affectata sit peccatum mortale, etiam si transgressio non sequatur, ita etiam quædam particularia Præcepta, quæ ad quorundam statum, & officium pertinent, ipsi quoque scire tenentur. Sunt autem in Ecclesiâ tres hominum Status Principales, videlicet